



Scripta publica Regiomont. 1831-1840.

- | | | | | | | | | | | | |
|--|--|----------|----------|----------|----------|-------|----------|----------|----------|-------|-------|
| | | O. M. 31 | O. M. 32 | O. M. 33 | O. M. 34 | O. 35 | O. M. 36 | O. M. 37 | O. M. 38 | M. 39 | M. 40 |
| | | 4. 8 | 12. 17 | 22 24 | 30 36 | 40 | 49 54 | 58. 63 | 67. 72 | 98 | 85 |
1. [Lobbeck], Dissertatio de mutatione adjectivorum minus mobilium.
 2. Disputationis de auctore epistolae ad Hebraeos Pars II.
 4. De loco ubi Petrus apostolus videri eximendus sit.
 5. 6. [Lobbeck], De adjectivorum mutatione anomala dissertatio II. III. IV.
 7. Disputationis de epistolae Iacobae catholicae authenticitate.
 - 9.
 10. [Lobbeck], Monographia figurae etymologicae Pars I.
 11. Historia Aug. Conf. in Russia saeculo decimo scripta.
 13. 14. [Lobbeck], De nominibus graecis substantivi et adjectivi ambiguis diss. T. II. III.
 15. De reformanda ecclesia evangelica pars I.
 18. [Rhesa], Commentatio de origine ecclesiae cathedralis Regiomont.
 19. [Lobbeck], De nominibus graecae linguae monosyllabis. Diss. T.
 20. 23. [Lobbeck], De mutandae terminationis nominum graecorum causis T. II.
 21. [Rhesa], Commentationis de duplici psalmi XVIII. exemplo. Pars I.
 24. Commentationis de nominibus Jesu christi effatis, unde ipse quid quodcumque tribuerit miraculis cognosci licet parat. T.
 25. 6. [Lobbeck], De grammaticorum quorundam praecipuis euphonicis diss. T. II.
 28. Diss. T. De singulorum librorum sacrorum auctoritate canon. recte aest.
 29. Diss. T. Adversus grammaticos de nominum graecorum mutatione.
 31. [Lobbeck], De verbis graeci sermonis factitivis dissertatio.
 32. 45. De accommodatione legitima, a Jesu, cum diabolo, mund. facit, prop. sect. 3.
 33. 55. 73. Historiae Anabaptistarum et Sacramentarior. in Russia initia. T. II. III.
 34. [Lobbeck], De nominum generis neutrius verbalium formatione diss. T.
 35. [Lobbeck], De nominibus in $\mu\alpha$ exeuntibus diss. II.
 37. [Lobbeck], Prolegomena de verbis $\mu\alpha\varsigma$ $\epsilon\iota\varsigma$ $\alpha\pi\omicron\alpha\theta\eta\tau\epsilon\upsilon\sigma\iota\nu$ $\epsilon\delta\upsilon\lambda\omicron\nu$ duo. II. 32.
 38. De paragoge nominum jonica Pars I.
 39. Sabinus, Oratio in funere Sorothecae, conjugis Alberdi.
 41. 34. [Lobbeck], De mobilitate adjectivorum compositorum diss. T. II. III.
 42. De Andrea Biscandri ratione ac modo concionandi pars I.

46. [Lobeck], De vocabulis graecis singulari forma signatis.
47. [Lobeck], De adverbiorum graeci sermonis verbalium formis diss. I.
48. De falsis philosophis et fragmenta libri contra Christianos collig.
50. [Lobeck], De nominibus graecis substantivi et adiectivi generis ambigui diss. IV.
51. 64. 69. Gregorii Panthebraei carmina syriaca aliquot adhuc inedita. I. II. III. IV.
52. [Lobeck], De praecipuis euphonicis diss. IV.
53. 56. [Lobeck], De nominibus in iros exeuntibus. et evy. I. II.
57. De orationis, cui a monte cognomen est, consilio peculiari.
59. 61. 2. [Lobeck], De anomaliae verborum graecorum causis diss. I. II. III.
60. Epistolae Joannis Briemanni et amicorum ejusdem praedicti ex ambrosio. edit.
65. [Lobeck], De nominum verbalium descriptione. Diss. I.
68. 70. 1. [Lobeck], De verborum graeci sermonis non purorum descriptione diss. I. II. III.
74. [Lobeck], De descriptione verborum graecorum. Pars III.
75. [Lobeck], De nominibus serbiae declinationis neutralibus diss. I.
76. Maduda seminarii regii theologici Regiomontani.
77. Sieffert, De ultima Domini Jesu Christi coena comm. I.
79. 80. [Lobeck], De terminationum serbiae graecorum declinat. viciss. diss. I. II. III. IV.
81. 82. 34. [Lobeck], De nominum graecorum terminationibus epentheticis diss. I. II. III.
86. Sebzer, Concilio sacrae episcopi Georgii a Polentis Anno MDLXIII. habita.



10
21

Festum Paschatis

pie celebrandum

Civibus Academicis

indicunt

Prorector, Cancellarius, Director et Senatus

Academiae Albertinae.



Anno

MDCCCXXXIII.

Rhesa
Inest Commentationis de duplice Psalmi XVIII exemplo P. I.

Regimontii Prussorum,

Typis Academicis Hartungianis.

H. I.



CAP. I.

I. Psalmum duodevigesimum, cujus criticam rationem dijudicare atque exponere hujus est institutae scriptionis, Davidi vere esse vindicandum, omnes critici censuerunt; excepto quidem Justo Olshausenio¹⁾ qui Davidicam carminis originem negare fidenter conatus est. Quod mihi quidem (pace viri docti dixerim) perquam temere ac nulla ratione factum esse videtur. Nam si quis erit, qui illi consentiat: fatebor equidem, praeclare illud Davidis ingenium, quod splendidissimis in nostro carmine expressum videmus coloribus, minus ei esse cognitum ac perspectum. Atque haud scio, an minus hoc vobis sim probaturus: equidem non dubitabo, quod sentio, dicere. Quaero enim, num Davidica Psalmi, quem quaerimus, origo a viro docto unquam addubitari potuisset, si forte carmen nostrum cum aliis, quae Davidi sine ulla dubitatione attribui soleant, carminibus (nimirum 2. Sam. VII, 18 — 29. XXIII, 1 — 7) diligenter contentuisset. Haud difficile, puto, Davidem quoque istis in locis (i. l. c. XXIII, 3.) aeque atque in nostro carmine (v. 22. sqq.), se ipsum suamque pietatem laudibus efferre, cognovisset; tametsi idem in aliis quibusdam locis (ut in Ps. VII, 9.) accidere solet. Tum autem, si loci hujusmodi: 2 Sam. VII, 20. 26.

1) Justus Olshausen in libello, qui inscriptus est: *Emendationen zum Alten Testamente, mit gr. und krit. Erörterungen.* Kiel, 1826. p. 17. sqq.



XXIII, 1. antea paullo accuratius essent pervestigati, in hoc, quod auctor ipse nomen suum infert (v. 51.), fere nemo offensus. Similiter arbitror, quod poeta noster in titulo tamquam עבר יהוה significatur, tantum abesse, ut contra Davilem dubitationes movere possit, ut ne contra tituli quidem summam antiquitatem certet. Est enim falsa quaedam et vituperanda opinio, quam, praeceuntibus Paulo²⁾, Bertholdtio³⁾, Eichhornio⁴⁾, Grambergio⁵⁾, vir doctus Maurerus⁶⁾ denuo pervulgavit, formulam עבר יהוה appellationem esse honorificam, seriore demum aevo exortam, quo Hebraei majorum laudes multiplice ratione celebrare studerent. At vero illam se ipsum significandi rationem a Davide non fuisse alienam, aperte declarabunt loci hujusmodi: 2 Sam. c. VII. coll. Ps. XIX, 12. 14. XXVII, 9. Conf. insuper titulus Ps. XXXVI.

Quae autem, si recte, ut opinor, disputata sunt, statim refutata est altera Olshausenii sententia: eum, qui in Psalmo nostro loquentis personam gerat, in titulo quidem nomine עבר יהוה insignitus, cultorum Dei personam effingere, adeoque ipsum nostrum carmen Jesaiae oraculo cap. LIII. aptissime comparandum, hoc demum adhibito, satis explicari. Hanc autem, ne dicam contortam, sententiam multis a me refelli, quis postulabit? Namque illi, tam dispares longissimeque distantes loci, quomodo inter se possint comparari, equidem non assequor. Nec nisi, ut alteri illi, supra explicatae

2) Paulus in Clavi ad Ps. p. 84.

3) Bertholdt. Einleitung etc. p. 855.

4) Eichhorn. Einleitung etc. T. V. p. 34.

5) Gramberg: C. P. beatus: Ueber Ps. XVIII. und 2 Sam. XXII., ein grammatisch kritischer Versuch, in Wineri commentariis: Exegetische Studien. I. 1. sqq.

6) Maureri: Commentarius in librum Josuae, ad c. I. 1.

conjecturae suae indulgeret, hanc alteram esse excogitatam, eaque profligata statim labi, quis est, qui non videat? 7).

Habetis de Psalmi auctore quid sentiam. Jam vero quis non jure miretur, ex omni memoria interpretum, qui complures Psalmos eam ob causam Davidis esse negent, quod vox **היכל**, seriore demum tempore post Salomonem (ut putant) de Dei habitaculo usitata, in iis occurrat⁸⁾, nullum inveniri, qui illius argumenti hac occasione data (v. 7.) memor sit, quamquam nostrum carmen Davidi esse tribuendum, non dubitant. Quare equidem confiteor, viros doctos a se ipsis male dissidere. Dicam igitur paucis, quod sentio. Quamquam enim patet, vocem **היכל**, nisi de domo Dei coelesta s. de coelo, ut in aliis locis (Ps. XI, 4.), neque in versu septimo nostri carminis esse adhibitam, sed tamen haec translata vocis significatio nullo

7) Quomodo tandem fieri potuit, ut Olshausenius virum summe venerandum Gesenium malae inconstantiae accusaret, qui formulam " **עבר** " in Jesajae oraculis tum ad populum Dei, tum ad Prophetarum ordinem retulisset, difficile est intellectu. Neque enim is, qui formulae theocraticae " **עבר** " vim primariam adeoque continuo V. T. loquendi usu confirmatam, ut nempe sit: Dei cultor, et levior quidem in dicendo verus Dei cultor, in mente et cogitatione defixerit, eum a se ipso defecisse putabit, qui formulam sensu colectivo (ut ajunt) tum ad Israellem, tamquam populum, tamquam Dei electos verumque Israellem (Jes. XLIX, 3.); tum alacriore emphasi ad prophetas, tamquam Dei discipulos, tamquam sal Israelis, trahendam esse censeat; quamvis dubitari quidem possit, latiorne illa, an arctior haec, quam significavimus, formulae significatio in isto Jesajae oraculo (c. LIII.) locum teneat; nisi cum viro clar. Umbreitio feceris, qui putet, in formula " **עבר** " prophetam ut Collectivum quidem inveniri, sed futuro demum tempore inde ex solo exsilii in recuperato patrio solo in una persona ad summam sese explicantem perfectionem.

8) Prae caeteris appello Virum Clar. de Wettium, in Comm. ad Ps. V, 8. et XXVII.



modo ante cogitari atque adhiberi potuit, quam eadem vox de magno et amplo quodam aedificio in terris esset usitata. Atqui hoc est exploratum, vocem illam nisi aut de regum (sive magnatum, Jes. XIII, 22.) aut Dei Deorumve sede nunquam occurrere. Ut igitur Davides rex, qui divinae majestatis in terris imaginem imitaretur, domum cedrinam (2. Sam. VII, 2.), nempe amplum aedificium (היכל), habitabat; ita vox a terrestri regis sede ad summi regis, Jehovahae nimirum coelestam sedem facile transferri potuit. Utrum vero templum jam esset aedificatum, nec ne, id nihil refert. Caeterum illud haud infitias eo, Etymologiae causa in magnam cadere disceptationem, utrum vox de tabernaculo Mosis, an de tentorio, post bellum cum Philistaeis gestum, in monte Sionitico erecto, intelligi possit; id quod equidem non credam.

II. Sed quoniam attigi, quae de auctore Psalmi dicenda erant, non vagabitur oratio mea longius. Ad reliqua igitur progrediar, meque ad meum munus pensumque revocabo. Notum est enim omnibus, duplum Psalmi duodevigesimi exstare exemplar, utrumque quidem inter se dissimile, at in suo genere aequae praestans ac deperditum. Utriusque autem origo et critica auctoritas, quae quales sint, criticos maximopere cruciabat. Veteres nimirum, quos sequuti sunt Reddingius Schultensius, Dathius, Clauss⁹⁾, al., Davidi ipsi utrumque exemplar, uti nunc exstat, vindicarunt, sed ita, ut alteram, secundo Samuelis libro insertam editionem multo antiquiorem esse et rudiorem censerent. Placuit idem fere viro cl. de Rossi¹⁰⁾, cui convenit Eichhornius, quum diceret, alias carminis dis-

9) In libro, caeterum commendatione quidem indigno: Beiträge zur Kritik und Exegese der Psalmen, Berlin, 1831. p. 233.

10) In Variis Lectt. Tom. IV, p. XIV.



crepantias videri Davidi ipsi, vel diversae carminis recensione tribuendas, alias librariorum negligentiae. At mihi quidem, qui veteres auctores hebraeos tantum fere tribuisse critices studio putent temporis, quantum profanae antiquitatis Grammatici adhiberent aut nostrae aetatis critici super scripta sua consumere soleant: a vero longe aberrare videntur: quoniam exempla non habemus. Nam si quis erit, qui in Amosum, aut alium, nescio quem, provocaverit, qui perpolite quidem atque eleganter admodum scripserit, equidem respondebo: rem quidem quoad Amosum se multo aliter habere, quum ea tantum, quae antea viva voce palam proloquutus esset, deinde otio sibi dato diligentius consignaret. Quid de Jeremia? Multum ac diu, puto, explosa et exstincta est Eichhornii sententia, graecam Jeremiae interpretationem ex altera quadam oraculorum editione, prophetae ipsi tribuenda, esse derivandam; quoniam multo est veri similis, additamenta ista, quae in graecis contineantur, aut ad interpretis oscitantiam, aut ad aliam quandam, quae in Aegypto circumferretur, recensionem esse revocanda.

Quoniam igitur scripturae discrepantiam Davidi non esse vindicandam ostendimus: alia nunc via est nobis ingredienda, qua eam quaestionem, unde tandem sit profecta, facilius expediamus. Sed ante occupamus, quod videmus opponi. Neque inepte fecisse putaris, si inferioris cujusdam aetatis lectorem, haud quidem, ut eum depravaret, sed ut critica arte emendaret atque integram in conditionem restitueret, Psalmo nostro operam navasse dicas. Sed illud vereor, ut tibi possim concedere. Equidem enim, ne credam, eo detineor, quod omnem artem criticam ab antiquitate hebraea prorsus alienam et Judaeis, ad aevum Masorethicum usque, quo Grammatices scientiam et artis critices usum ab Arabum gente sibi mutuarentur, omnino ignotam fuisse constat. — Jam illud est probabilius, nec tamen verum, quod dici possit: lectorem quendam, nulla quidem arte adhibita, sed studio et consulto verba immutasse: quae quidem res



duplicem habet explicandi viam. Aut enim ex caussis polemici-
cis, quemadmodum de Chronicorum auctore experti sumus,
ista libera ratione egit: id quod in nostro quidem Psalmo inep-
tum esset putare; aut ad illius incerti instar, qui nonnulla
ex libris Regg. desumta capita in Jesaiae oraculorum libro
(c. XXXVI — XXXIX) ita tractaret, ut propria atque usitata
verba pro collocatis et translatis verbis summutaret multaue
alia impedimenta removeret, nostrum etiam psalmum, argu-
menti potissimum ratione habita, deque re magis quam de ver-
bis laborans, formaeque venustate relicta, cum quadam negligen-
tia consignavit. Neque id, quod postremo loco posui, mini-
mam habet speciem veritatis. Dicit enim nequit, in carmine,
quo argumento forma sit artissime conjuncta, rem se multo
aliter habere. Quam libere enim linguae in communi vitae
consuetudine vigentis tempore cum singulis verbis eorumque
positione actum sit, probat luculentissimum exemplum nobis
Jesaiae (c. II, 2 — 4.), quem vaticinii cujusdam fragmentum,
quod, si non Michae aut Joeli, certo tamen antiquiori cuidam
prophetae tribueris, tam negligenter tractasse videmus, quam
in verbis memoriter allatis, fieri solet. Jam mementote, Obad-
jae Oracula eadem fere ratione a Jeremia referri (c. XLIX,
7 — 22.), eundemque ita alias quoque agere. Cf. Jer.
XLVIII. coll. Jes. XV. XVI. Sed quomodocunque sese illud
habet, ei generi, quod modo descripsimus, nostrum psalmum
accensere omnino dubitamus, quum aperta impressa ei sint ves-
tigia (quod post magis intelligetur), unam alteramve scripturam
vel literarum deletionem et immutationem, vel incuria librariorum,
vel alio nescio quo infortunio exortam esse.

Quodsi idoneas discrepantiae, quae inter utramque nostram
editionem se ostendat, explicandae caussas, nondum consequuti
sumus, age vero, unum verum fontem nunc investigemus, unde
istas lectiones variantes, de quibus ambigitur, defluxisse veri-
sit simillimum. Illud igitur, sic enim statuo, quod magno inge-

nii acumine, ut solitus est, de Psalmo XIV. coll. LIII. nuper
conjecit Vir Clar. Ewaldus¹¹⁾, a quo censet, ejus formae
indolem, qua nunc habemus, ita esse explicandam, ut vete-
rem quendam lectorem, ex ipsis verbis, vel in charta exstinc-
tis, vel alio, nescio quo infortunio depravatis, alia ac nova
verba, quippe quae ad carminis sensum ac continuationem
quam aptissima viderentur, sine ulla arte, nec tamen sine
tacito quodam veri sensu et sua libertate sibi formasse sume-
mus: illud idem, dico, de nostro Psalmo existimari potest.
Sed hoc differunt inter se, quod, quum in Ps. XIV. omnis,
qua impedimur, lectionum varietas, jam ea, quam indicavi-
mus, ratione facile explicetur: in nostro carmine hoc etiam
concedatur necesse est, complures ejus lectiones vel ex libra-
riorum negligentia vel inde esse natas, quod hominum ore diu
circumferretur, quo fieri debebat, ut aliena multa ei adsperge-
rentur¹²⁾: Tenemus igitur, si internam ejus respiciamus in-

11) Ewaldus in commentatione: Erklärung von Ps. XIV. in seinem
Verhältniss zu Ps. LIII, inserta commentariis, qui inscripti sunt:
Studien und Kritiken, Tom. II. fasc. 4. p. 722. sqq.

12) Praeclara multa de arte critica verbali nuperrime disseruit Ferdi-
nandus Hitzigius meus, nunc Professor in Univers. lit. Turic.,
in libro suo: Begriff der Kritik, am Alt. Test. praktisch erläu-
tert, Heidelb. 1831. pag. 113. sqq. Brevitatis causa ea memine-
rimus, quae de Rossi monuit in Varr. Lectt. Tom. IV. Diss.
Praelim. p. XI: „Ex ipsa collatione codicum et Versionum mani-
feste evincitur librariorum negligentia mendose fuisse descripta
nomina propria ac numericas notas, affines literas confusas, omis-
sas saepe vel additas matres lectionis, permutatas lectiones paral-
lelas, perturbatam aliquando verborum seriem, praetermissa vel
intrusa integra verba, immo integra membra, integros versus, ea
uno verbo vitia sacris libris contigisse, quae sunt diuturni tempo-
ris humanaeque infirmitatis consecutanea, idem quod profanis fa-
tum, forte etiam insignius, quia si quod mendum in prophams li-

dolem, in utraque, vel quae in Psalmorum vel in secundo Samuelis libro continetur editione, duas sibi simillimas, nec vero arbitrariis ac consulto factis mutationibus inter se discrepantes recensiones, quae succedente demum tempore gignerentur. Quare, quum vera et genuina Psalmi XVIII. species perriisset, si in veram inquiras scripturam, utramque editionem consulas oportet.

Quae quum ita sint, quis dubitabit, Grambergium, quum eum, qui secundum Samuelis librum colligendi operam sustinisset, Psalmi XVIII. verba, vel facilia apertioraque ea reddendo, vel conformando, consulto ac studio depravasse atque hanc alteram editionem prorsus esse rejiciendam censeret, inconsiderate admodum egisse. A viro beato autem proxime abesse de Wettium miror, qui alteram 2 Sam. editionem fortasse etiam genuini ac veri aliquid continere, ambigere tantum professus sit¹³⁾. Absurdum vero hoc esse, omnem, quae ibi occurrit, scripturam, omnino spuriam putare, jam inde in aprico est, quod vel in iis librorum sacrorum locis, quos a seriore manu industria informatos esse cognovimus, lectiones quasdam veras alterique ceterum genuino exemplari praefendas passim inveniri licet. Atque hoc, ut probemus, commode exempla aliquot eaque graviora, afferamus. Jes. 37, 30. legitur. **וְאֶמְלֵךְ**, quae scriptura aptior videtur quam **אֶמְלֵךְ** 2. Regg. Ps. 105, 12. **בְּהִלָּתָם**, multo verius autem in libro Chron. **בְּהִוָּתָם**. Conf. sis quae de Wettius monuit ad l. l. Jes. 36, 10. ibid. Gesenius, p. 946. coll. 37, 19. Nec satis ita dixisse

bros irrepit, liberrime corrigitur, si in sacros, saepe meticulosi indoctique librarii non audent in illud manum injicere.“

13) In nota crit. ad vs. 12.

sibi videbatur Grambergius; quinetiam illam editionem grammaticis erroribus esse contaminatam contendere eum non pudebat. Etenim v. 33. hanc invenies scripturae varietatem: in libro Pss. legitur: האל המאזרני חיל, deus (est) qui me accingit robore, contra apud Sam.; האל מעוזי חיל. Quae-
nam lectio sit praeferenda, decernere non audeo, quippe quum prior lectio aequae facile ex vs. 40. irrepere potuisse confitear, atque haec posterior, nescio an literis extinctis vel in ore hominum corruptis, ex illa facile exoriri potuerit. At vero, qui fieri potuit, ut interpretes (quorum sententias recensuit Rosenmüllerus V. S. V. ad l. l.) de Samuelis scriptura tam misere se excruciant, equidem non assequor. Verba nimirum ita sunt vertenda: Deus (est) forte meum praesidium. Etenim errant, qui cum Rosenmüllero et Grambergio voci מעוזי statum rectum מעוז tribuant, quum nomen potius sonet מעוז. Ez. XXX, 15. Deinde vero de Wet-
tio, qui in verbis מעוזי חיל peccatum grammaticum inesse, ac potius מעוזי חילי scribendum esse censeat, consentire nequeo. Quid enim? Estne hoc satis notum, statum constructum apud Hebraeos haud raro pronomine suffixo interrumpi ac nomen, quod Genitivi vices teneat, aut Genitivum Objecti esse aestimandum, aut sensu Adjectivi solvendum? Vocem igitur חיל tamquam Genitivum ab מעוזי pendere cogites ac verba: praesidium meum fortitudinis sic tibi solvas: forte s. solidum meum praesidium. Ex immensa exemplorum silva haec adscribere lubet: שְׁנַאי שֶׁקֶר Ps. XXXVIII, 20. XXXV, 19. חֲרִי עֵז XXX, 8. רֹכֵךְ זִמָּה Ez. XVI, 27. מִדּוֹ בָר Levit. VI, 3., quo in loco caveas, ne literam i cum Ewaldo¹⁴⁾

14) Ewald. in Gr. crit. p. 636. Omnino autem Viro Cl. consentire

pro status constructi signo habeas. Huc etiam pertinet, praeter exempla hujusmodi: Thren. IV, 17. Jerem. IX, 2. Ez. XVIII, 7., vexatissimus ille locus in Ps. XLV, 7. כִּסֵּאֲךָ אֱלֹהִים עֵלְיָם¹⁵⁾ thronum tuum Dei aeternum, h. e. thronum divinum (a Deo concessum) aeternum tuum¹⁶⁾.

Tandem vero negat Grambergius, si quis 2 Sam. verba retinuerit, eum alterum versus hemistichium (וַיִּתֵּן רִגְלֵי) priori ex aequabilis consecutionis verborum lege apte posse conjungere. Hoc autem excidit animo suo, signo Vav convers., cuiusvis significationis, enuntiatio quaedam praemittatur licere, qua nullum Verbum aperte sit expressum, sed Verbum substantivum tantum supplendum. Gen. XI, 10. 12. Jes. 5, 7. Habac. 3, 19¹⁷⁾: יְהוָה אֲרָנִי חֲלִי וְיִשָּׁם רִגְלֵי כְאִילֹת

Cognovimus igitur, unde orta sit forma Psalmi. Sed antequam in singulis scripturis recensendis elaboremus, Psal-

non possum, qui usum illum, supra observatum, neget. Exempla enim ejus sententiam reprobant.

- 15) Conferas ea quae de isto loco docte disputavit Ferd. Hitzig. l. l. p. 30. 157.
- 16) Caeterum alia quaedam difficultas fugit interpretes, quotquot vidi, omnes, nimirum quod in litera ךְּ vocis מְעוּזִי punctum Dagesch desideratur, alias tamen, ubicunque redit, voci consuetum, sive cum litera vocali, sive hac omissa scriptam eam invenies. (Ps. XXXVII, 39. מְעוּזִים XLV, 14. מְעוּזִים.) Quod autem ex Vbb. עוּזִי et עוּזִי permutatione explicandum est. Literae enim geminatione praetermissa, litera vocalis perpetuo longe producta ponitur; sic igitur invenies מְעוּזִי et מְעוּזִי (quasi esset a rad. עוּז), חֲקוּי et חֲקוּי Prov. VIII, 27. 29. In scriptura מְעוּזִי (a rad. עוּז) hoc autem memineris, literam vocalem ךְּ vocali brevi Kibbutz hic esse aequalem. Consulas sis Ewaldum in Gr. crit. p. 472. imprimis etiam in not. 8.
- 17) Ewald. Gr. crit. p. 541. ej. Gr. min. §. 477.

mum XVIII. jam exsiliū tempore fuisse depravatum, nobis est explicandum. Quod vero jam ex versu quinto, coll. ps. CXVI, 3. apparet. Namque dubitari nequit, quin lectio Sam. v. 5: **מַטְבְּרֵי מוֹת** fractiones undarum, h. e. fluctus fracti, torrentes scilicet, quae regnum Belialis perstrepunt horribiles (cf. Ps. XXXII, 6. XLII, 8. LXIX, 2. XCIII, 4.) cum Vogelio, Köhlero, Reddingio, Rosenmüllero et Olshausenio alteri scripturae **חַבְלֵי מוֹת**, in libro Pss. ex versu sexto male quidem intrusae, secundum Parallelismi leges multo sit anteponenda. Quod vero spurium istud verbum in Ps. CXVI., brevi quidem post exsiliū tempora conscripto, recurrit, hoc dumtaxat efficit, eo tempore, quo componeretur, lectionem falsam multis exemplis Psalmi XVIII. jam intrusam fuisse. Hinc ergo sequitur, eum, cujus studia in vera et falsa lectione Psalmi judicanda versentur, imprimis ex tacito quodam veri sensu atque internis linguae rationibus, quae sint in utraque editione recta ac prava dijudicare oportere, neque externi, qui dicuntur, testes, ut Versiones collatique Codd.¹⁸⁾, multum ei posse afferre. — Deinde vero Psalmum nostrum etiam post exsiliū tempora multifariam esse depravatum, observare licet. Atque hoc inde patet, quod in Sam. libro, exsiliū tempore in ordinem suum redacto, inde a Vs. 38. eam lectionis varietatem deprehendimus, quae ei loco, nimirum de vitae Davidis fine narrationi, cui Psalmum inseruit auctor, nullo modo convenient. Est nempe hoc perspicuum, eum, qui Sam. libros collegerit, ex totius veteris traditionis exegeticae auctoritate, Psalmum nostrum nisi sensu praeterito non accepisse, ideoque secundum ejus sententiam verba Vs. 38: **אַרְרַף אֵיבֵי וְאַשְׂתָּוִם** sic esse vertenda: Persequutus sum

18) Id quod contra de Rossi l. l. p. XIV. dictum volo.



hostes meos eosque assequutus sum. Atqui apud Sam. leguntur haec: ארדפה איבי ואשמורם Persequar hostes meos et perdam eos. Jam haec Vs. 38. lectionis varietas, de qua infra multo uberius exponamus, arcte connexa videtur ei, quae Vs. 44. occurrit, quo apud Sam. legimus: תשמרני עמי Eripies me e contentionibus populi mei h. e. e bellis populi Israelitici civilibus; e contrario in libro Pss. ת' מריבי עם h. e. ex Parallelismi ubique observati lege (cf. v. 49.) Eripuisti me e contentionibus gentium. Atqui hanc, quam modo explicavimus, scripturam, eidem tribuatur oportere videtur, cui illam in altero ejusdem versus membro debemus, nimirum hanc: ל' תשמרני ל' Sim caput gentium, pro quo in libro Pss: תשימני רגרי Constituisti me caput gentium. Quid enim? Nonne ista lectionis varietate, quam brevissime hic attigisse sufficiat, in ea tempora deductos nos sentimus, quibus mutuae inter utrumque regnum contentiones adhuc vigerent, neque externi Davidis hostes essent pacati? Etenim vel de hostium perditione, vel de liberatione a populi Israelitici rixis, vel de munere regio sensu futuro (quo jure quidem, huc non pertinet) tantum sermo habetur. — Postremo autem hoc monendum existimamus, facile fieri potuisse, ut utrumque exemplar aut eodem, aut diverso tempore eam speciem indueret, qua nunc tenemus. Neutrum enim illud pro certo affirmare conamur. Quod enim video visum esse Paulo, V. S. V.¹⁹⁾, Pss. librum multo antiquius nobis exhibere exemplum, quemadmodum ante regnum Davidis munus fuisset, sed in Sam. libro lectiones seriores occurrere, id quod tum ex scriptura Ps. v. 44. תשימני tum ex libri Sam lectione תשמרני esset in

19) In Clavi, p. 95. in nota.

aprico: redarguit et refellit id (si omnino opus est), quod paullo ante de hoc versu proposuimus atque in iis, quae extrema hac commentatione sequentur, multo accuratius explicabimus.

III. Satis multa de utriusque exempli origine in universo accepimus. Singula nunc inquisituri, ita disputationem instituemus, ut primum de iis, numero quidem paucissimis, utriusque editionis locis loquamur, in quibus quae recta pravane sint jure adhuc ambigitur, quoniam utraque scriptura locum suum pari jure tenere videtur. Deinde vero, ne hujus capituli magnitudo justo longius procedat, in altera Commentationis particula, si verissimas in libro Pss. obvias lectiones primum cognoverimus, deinde ad 2 Sam. exempli indolem accuratius describendam descendemus; quo institutum ordinem persequamur.

Pergamus ergo ad id genus, quo de dubiis scripturis sermo erit. Huc vero pertinet Vs. 21. (item vs. 25.), quo invenies in Pss. כצדק, contra in Sam. כצדקתי. Si qui sint, qui cum de Wettio et Grambergio putent, utrumque vocabulum in eodem esse numero habendum, certo errant. Utriusque enim vel simplicis vel derivatae formae discrimen patet. Nimirum צדק, justum a צדקה justitia ita disjunctum cogites, quemadmodum in graecis τὸ δίκαιον differt a δικαιοσύνη. Usque igitur vocem צדק usitatam reperies, ubi mera notio: justum esse jam sufficiet; ut si צדק cum praecedente quodam Substantivo, cujus Genitivum qualitatem tantum indicit, copulatur; v. c. זכרתי צדק, משפט צדק, נות צדק. Contra nomen abstractum צדקה ubique justae se gerendi rationem significat²⁰). Etiam si igitur Deo et צדק et צדקה vindi-

20) Eadem ratio inter רשע et רשעה est observanda.



cari potest (Ps. XL, 10. coll. v. 11. Ps. V, 9. LI, 16. LXXI, 12. coll. VII, 8. XXXV, 24.), attamen ne utriusque vocabuli notionem propriam confundas tibi caveas; nunquam enim (neque in Ps. XVII, 1.) צרקה prorsus idem putandum est ac צרקה. Difficile vero est dictu, quaenam in loco, quem quaerimus, scriptura sit praeferenda. Cacterum eadem lect. varietas alias recurrit; sic in Ps. XXXV, 24. pro כצוקך multi Codd. exhibent כצוקתך. — Vs. 23. in Pss. וחקתיו לא אסור מני Et statuta ejus non removi a me h. e. non neglexi; in altero exemplari: וחקתיו לא אסור ממנה et statuta ejus (quod ad ea attinet) non deflecto ab eo h. e. ab iis. Haec autem lectionis varietas ea est, quae, dum in ore hominum vivit carmen, facillime exoriri potuit, neque est, cur hanc illamve praeoptemus. Multum tamen haesitavit Grambergius (qui de Wettium nactus est sectatorem), qui verba Sam. depravata censeret, ut facilius eorum sensus redderetur. Putat enim, libri Sam. auctorem formae rarioris Hiph. a rad סור usum (quamquam plus centies redit!) et formam poeticam מני evitare sibi voluisse: quo accedat, ut ממנה (pro מהן) in Sam. editione ad Plur. חקתיו perperam admodum transferatur necesse sit. Quod nempe Syntaxeos hebraeae inscitiam redolet. Est enim cognitum, quemque formam pluralem cum Verbo in genere feminino, tamquam Abstracti forma, singulariterque posito, apte posse copulari, quod etiam in Pronomen, a Substantivo plur. suo remotius quidem et disjunctum cadit. Cf. simillimum locum 2. Regg. III, 3. Ps. CXIX, 98. Job. XXXIX, 15. coll. vs. 14.²¹). — Vs. 24. in Pss.: ואהי עמו 2 Sam.: ואהיה תמים לו Lectio vero עמו (integer fui

21) Ew. Gr. erit. p. 639. ej. Gr. min. §. 568.



cum Deo, h. e. consortio Dei, probante eo, quin una vera sit, non dubitatur. Sed qui fieri potuit, ut Grambergius formis apud 2 Sam. obviis **וַאֲהִיָּה** (uti Ps. CII, 8. pro **וַאֲהִי**) et in **וַאֲשַׁמְרָה** (pro **וַאֲשַׁמֵּר**) verborum continuationem male interrumpi contenderet, equidem non video. Nam ex trito quodam abusu prima (vel secunda, tertiave) persona modi II. cum Vav. convs. instructi, haud raro suam plenam formam, ideoque etiam syllabam **הַ**, sine ulla vi ostendit. Id quod in Pentateucho (cf. Gen. XXX, 6.) raro quidem fit, saepius tamen jam in Pss. vere Davidicis (Ps. III. 6., VII, 5.), scribibus denique libris quammaxime est consuetum²²). Nullum igitur inter utramque lectionem interest discrimen; immo vero, lectiones libri Pss. si defenderis, statim exempla quaedam equidem tibi monstrabo, quae aperte declarent, plenam illam formam a Masorethis haud raro esse immutatam. Cf. Jer. III, 7.: **וַתִּרְאֶה**, contra K'ri: **וַתִּרְאֵה**. Jos. VII, 21: **וַיִּרְאֶה**, sed K'ri: **וַיִּרְאֵה**; ibid. XXIV, 3. **וַיִּרְבֵּה**, K'ri: **וַיִּרְבֵּה**. — Vs. 35. in Pss.: **וַתִּרְעֵתִי קֶשֶׁת וַתַּחַתֵּהּ** Et deprimunt brachia mea arcum; 2 Sam. **וַתִּרְעֵתִי וַתַּחַתֵּהּ**. Grambergius hic anomaliam subesse male suspicatur²³). — Vs. 41. in Pss. **וַתִּשְׁנֵאֵנִי** ומשנאני, 2 Sam.: **וַתִּשְׁנֵאֵנִי וַתִּצְמִיתֵנִי**. Inepta multa hic protulit Grambergius, quae describere taedet. Sed in locum paullo accuratius inquiramus. Jam in priore versus hemistichio: **וַתִּכְנֹתֵהּ לִי עֵרֶף** statum absolutum **וַתִּכְנֹתֵהּ** enuntiationi consequenti praemissum videmus. Expectare igitur debebas: **וַתִּכְנֹתֵהּ עֵרֶפִי**, quoniam casus rectus, si enuntiationi in forma absoluta est praemissus, sive in Casu suo obliquo, sive in Pronomine suffixo

22) Ew. Gr. crit. p. 426. coll. Maurer. in Comm. ad Jos. p. 72.

23) Gesenii Gr. ampl. p. 714. 720. Ew. Gr. crit. p. 639.

rursus apparere solet²⁴⁾. Sunt tamen etiam regulæ nonnullæ exceptiones, quibus nostrum locum apte accensebis. Praeter locos, quos afferunt Ewaldus²⁵⁾ et Hitzigius²⁶⁾ nota haec: Jes. XIX, 11. (עֲצָתָם pro עֲצָה) XXXIII, 24. (עֲוֹנָם pro עֲוֹן). Verum in altero nostri versus hemistichio statum absolutum per Pron. suff. exceptum videmus. Propositio autem consequens aut cum copula ך̄ praecedentibus conjungi potuit, ut in Sam. factum videmus (Jes. VI, 13. IX, 4. Dan. VIII, 25.), aut, copula omissa, annecti, ut in Pss. (Gen. XLVII, 21. 1 Sam. XXV, 29). Utræque ergo scriptura in aequo est posita. — Vs. 47. in Pss. אֱלֹהֵי יִשְׁעִי. Haec formula saepius redit. (Ps. XXV, 5. XXVII, 9. XXXIII, 5. XLIII, 4. LI, 16. Hab. III, 18.) 2 Sam. אֱלֹהֵי צוּר יִשְׁעִי. Rosenmüllerus igitur hic librariorum incuriam subesse et verbum צוּר e loco suo esse ejiciendum censet. Grambergius etiam hanc verborum structuram minus apertam esse ad intelligendum dicit. Atat deus rupis salutis meae s. rupis salutem mihi ferentis, nihil esse potest, nisi: deus qui rupes mihi est salutem ferens. Dicitur etiam per appositionem potuisset: אֱלֹהִים צוּר יִשְׁעִי; tamen verba, uti sonant, non obscuriora sunt, quam haec simillima: אֱלֹהֵי שְׂמַחַת גּוּרֵי Ps. XLIII, 4. Neque opus est Grambergii conjectura, qua sic legendum censeat. | חַי יְהוָה | וּכְרוּךְ צוּרֵי | וְיִרְחַם אֱלֹהֵי | צוּר יִשְׁעִי | (Rectius fortasse coniecisset אֱלֹהֵי וְצוּר יִשְׁעִי Ps. CLHIVIII, 27.). — Vs. 50. in Pss. אֲרוּךְ כְּגוֹם יְהוָה. Grambergius et de Wettius verborum in Sam. collocationem: אֲרוּךְ כְּגוֹם יְהוָה multo commodiorem et faciliorem ideoque spuriam appellant. Quo autem iure nescio, quum structura libri Pss. itidem sit frequentissima Cf. Ps. LVII, 10: אֲרוּךְ כְּעַמִּים יְהוָה CVIII, 3: אֲרוּךְ כְּעַמִּים אֲרֵנִי. —

24) E. w. Gr. crit. p. 636. 25) In Gr. crit. I. I. p. 33. 26) I. I. p. 33.



Sed quoniam satis videmur de hoc lectionum genere dixisse: quae sequuntur deinceps, in secunda commentationis parte, proxima data occasione nobis edenda, dicemus. Jam superest, ut Vos Commilitones humanissimi, ad festum Paschatis pie celebrandum invitemus. Nos igitur excitet mortis Christi memoria ad vitam ocius citius emendandam et ad damna, quae peccando et aliis hominibus et nobis ipsis attulerimus, quantum fieri potest, reparanda. Pia grataque mente consilium gratiae divinae veneremur, neque accenseri erubescamus iis, quibus fides (Rom. IV, 24. sqq.): μέλλει λογίζεσθαι, τοῖς πιστεύουσιν ἐπὶ τὸν ἐγείραντα Ἰησοῦν τὸν κύριον ἡμῶν ἐκ νεκρῶν, ὃς παρεδόθη διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν, καὶ ἠγέρθη διὰ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν.

P. P. in Academia Albertina die VI. Aprilis MDCCCXXXIII.

Sed quoniam satis videtur de hoc lectorem non debere
 esse occupatum, hinc inde, non secunda commentationis parte
 proxima data occasione nobis erubuit, dicimus, non tam
 potest, et Nos Commissionem humanitatis, ad festum Paschalis
 celebrandum invitamus. Nos igitur ex hoc motu Christi
 memoria ad vitam oculis emendandam et ad hanc, que
 peccando et aliis hominibus et nobis ipsis attulimus, quantum
 fieri potest, reparanda. His gratias merito cogitamus, gratias
 dantes tenentur, neque recenseri erubescimus. In quibus libris
 (lib. VI, 24. pp.) hanc legimus, nos motum esse
 et erubuit, sed non ex parte, sed ex parte, et non
 ad rem, sed ad rem, et non ad rem, sed ad rem.

P. L. in Academia Albertina die VI. Aprilis MDCCCXXXIII.








ULB Halle
002.714.280

3



TA - OC







Festum Paschatis

pie celebrandum

Civibus Academicis

indicunt

Prorector, Cancellarius, Director et Senatus

Academiae Albertinae.



Anno

MDCCCXXXIII.

Rhesa

Inest Commentationis de duplice Psalmi XVIII exemplo P. I.

Regimontii Prussorum,
Typis Academicis Hartungianis.

